

versarij spargunt rumores, nec desunt, qui doctrinam hoc in opere
 perspicue traditam novitatis accusant, imò Iansenianæ hæresis labe
 infectam calumniantur, atque his, & alijs terculamentis piorum ani-
 mos adversus doctrinam re ipsa sanam armare non cessant. Opus er-
 gò fuit ei patrociniū adaptasse, sub cuius auspicio, tot adversantium
 tela contemneret, ac munita prodiret. Id iam diu cū inquirerem, EMI-
 NENTISSIME PRINCEPS, audio imò, & lego Tuū de Probabilismo
 sensū, quanto adversus moralē laxam zelo dimicas, ac vexillum ducis
 advertus regulam illam lesbiam, quæ tantos nacta est sectatores:
 expertus olim novi quātum intersit Tui opitulatio ad retundendā ad-
 versantium spicula: Quid ergò? Fuit nē libertas alium deligendī, qui
 doctrinæ huius operis patrociniū ferret? Minime gentium. Quinimò,
 fidentius dicam, & in Te id etiam potius obligatiōis, quam libertatis
 erit. Quandoquidem doctrina mea non est mea, sed per prius tua, cui
 proinde suffragium denegare iam ultra haud poteris. De patrociniō
 igitur tanto securus, grates iam Tibi rependere liceat, quod pusillis
 cordē robur addideris vt pro veritate contra probabilitatem falso &
 vero ambiguum in campum prosilire ausi fuerint. Scio equidem nun-
 quam Ecclesiæ defuisse Doctores, quibus probabilissimum foret exo-
 sum, sed magno obruti numero adversantium pauci fuerant, qui in
 aciem adversus ipsum contendere non formidarent. At postquam tā-
 tum Ecclesiæ Principem agmen ducere conspiciunt omnes, alterna
 vice variantur eventus, nam probabilissimum iam incipit apparere sus-
 pectum, eius sectatores, & numero, & viribus decrescent in dies, im-
 pugnatōes è contrā liberiori animo pro veritate impavidi decertabūt,
 numero, atque viribus prævalebunt. Quot autem emolumenta indē
 Ecclesiæ accedant, quantisque alias exorituris corruptelis occludatur
 aditus, facile quisque rimari poterit. At cuiā potissimè id gratulandum
 erit? Tibi sanè, EMINENTISSIME PRINCEPS, cuius autoritate,
 sub cuius nominis protectione, & clypeo decertamus ceteri, vires su-
 mimus, ac in lucem prodire non formidamus. Vivas igitur Ecclesiæ
 Sanctæ Dei nestorianos annos, vt splendore virtutum, eruditionis co-
 pia, doctrinæ veritate, disciplinæ zelo orbi christiano effulgeas, &
 valeas. Sic enixè optat, ac suppliciter à Supremo expostulat numine.

EMINENTIÆ TVÆ

Obsequentissimus, ac minimus servus,

Fr. Franciscus Palanco.

APPRO-